



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

Qvæstio LXXVII. Quo loco promisit Christus, se credentibus tam certo corpus & sanguinem suum sic edendum & bibendum sub speciebus daturum, quam transubstantiatum hunc panem edunt & calicem bibunt?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

etum, qui simul in Christo & in nobis rite expiatis habitat^b, ita sacrosancto eius Corpori magis ac magis vniri^c; vt, quamuis ipse in cælo, & in Sacramento sit, nos vero in terra sumus; nihilominus tamen caro sumus de Carne eius, & os de ossibus eius^d, vtque omnia corporis membra ab

vna anima, sic nos vno eodemque Spiritu viuificemur & gubernemur, quem spiritum in Eucharistia roboramus ex reali presentia Christi percepti in eadem.

^a Ioh. 6. 50. 55. 54. 47. ^b Ioh. 6. 63. ^c 1. Cor. 12. 13. ^d Ioh. 6. 56. ^e Eph. 5. 30. ^f Iohan. 6. 57. 58. Rom. 8. 9. 11.

QVÆSTIO LXXVII.

Quo loco promisit Christus, se credentibus tam certo corpus & sanguinem suum sic eaendum & bibendum sub speciebus daturum, quam

† transubstantiatum hunc panem edunt & * calicem bibunt?

† fraclum
* poculū
hoc

RESP. *Caluiniane.* In Institutione Cœnæ, cuius hæc sunt verba: Dominus noster Iesus Christus eâ quâ nocte proditus est, accepit panem, & gratias actis, fregit ac dixit: Accipite hoc est Corpus meum quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei recordationem. Itidem & poculum, postquam cœnassent, dicens: Hoc poculum est nouum fœdus per meum sanguinem; hoc facite quotiescunque biberitis, in mei recordationem. Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec venerit.

Hæc promissio repetitur à Paulo, cum inquit: Poculum gratiarum actionis quo gratias agimus, nonne communicatio est sanguinis Christi panis, quem frangimus, nonne communicatio est corporis Christi? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus. Nam omnes vnus panis participes sumus.

Dominus noster Iesus &c. Vide 1. Cor. 11. 23. 24. 25. 26. Poculum gratiarum actionis Vide 1. Cor. 10. 16. 17.

Orthodoxè.

In Institutione Eucharistiæ, cuius hæc sunt verba ab Apostolo tradita: Dominus Iesus, qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate; Hoc est enim Corpus meum, Quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum Testamentum est in meo Sanguine: Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciate, donec veniat.

Calix benedictionis, cui benedicimus nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? Quoniam vnus panis, vnum Corpus multi sumus, omnes qui de vno Pane participamus.

DO.